QUÆSTIONES

DE

M. TULLII CICERONIS

EPISTULARUM AD

M. BRUTUM LIBRIS NOVEM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES RITE CAPESSENDOS

INSTITUIT

CAROLUS WERMUTH,

BASILIENSIS.



BASILEÆ

EX OFFICINA M. WERNER-RIEHM

MDCCCLXXXVII.

QUÆSTIONES

DE

M. TULLII CICERONIS

EPISTULARUM AD

M. BRUTUM LIBRIS NOVEM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES RITE CAPESSENDOS

INSTITUIT

CAROLUS WERMUTH,

BASILIENSIS.



BASILEÆ

EX OFFICINA M. WERNER-RIEHM

MDCCCLXXXVII.

Cum novissimis annis denuo controversia de auctoritate epistularum, quae exstant ad M. Brutum, orta sit, quam spes est fore ut coniuncta virorum doctorum opera tandem conticescat, non alienum esse videtur inquirere, qualis fuerit tota ad M. Brutum epistularum συναγωγή. strictim igitur attingam ea, quae iam ab aliis tractata sunt, accuratius disserens de eis, quae mihi huc usque neglecta esse videntur.

I.

Facere non possum, quin primum paucis adumbrem, qualis per temporum vices Ciceronis et Bruti familiaritas fuerit.

703.

Drumann [1]) usque ad annum 703 Ciceroni paene nullam intercessisse familiaritatem cum M. Bruto dicit, ego plane nullam affirmo; nam epistularum consuetudo eorum non nisi medio anno 703 initium capit, non quod iam amicitia inter se coniuncti sint, sed quia Brutus a familiari suo, Attico, petivit, ut se Ciceroni pro consule in Ciliciam provinciam profecturo commendaret. quod apparet e Ciceronis verbis (ad Att. VI, 1, 3.): „nunc venio ad Brutum, quem ego omni studio te auctore sum complexus, quem etiam amare coeperam.“ accedunt ea, quae anno 704 in Cilicia Cicero ad Cassium, qui superiore anno e Syria Romam revertit, scripsit (ad fam. XV. 14 in fine): „accessit post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo

[1]) Drumann: Geschichte Roms IV. p. 20.

maxima," si haec duo argumenta inter se conferuntur, utrumque idem declarat anno 703 Ciceronem Brutum in amicitiam recepisse, idemque Cicero nuntiat Appio Pulchro (ad fam. III, 4, 2. 10, 2) et M. Caelio (ad fam. II, 13, 2), sed exstat locus, ubi Bruti ante annum 703 mentio fit, in epistula mense Sextili anno 695 ad Atticum data, tamen non contra ea, quae supra dixi, pugnat, sed affirmat. narrat Cicero (ad Att. II, 24, 2) Vettium insidiarum Pompeio paratarum accusavisse manum iuventutis, „in qua Paulus initio fuisset et Q. Caepio [hic Brutus] [1]) et Lentulus, flaminis filius, conscio patre." Cicero hoc loco Brutum nec nostrum nec tuum nominat, sed Q. Caepionem, non quod de re sollemni verba faciat, [2]) cum neque Paulum neque Lentulum nomine gentili et praenomine appellet, sed quia Brutus adolescens satis ignotus est, a Cicerone alienissimus.

Brutum revertisse Romam anno 703 cum socero Appio verisimile est; certe Ciliciam reliquit; nam Cicero mandat Attico epistula a. d. III. Jd. Sextiles data (V. 17, 6): „sed hoc Bruto nostro velim dicas, illum (sc. Appium) fecisse non belle, qui adventu meo, quam longissime potuerit, discesserit." atque Brutus rem suam ipse agere potuisset, si in Cilicia remansisset. detulit autem eam Ciceroni curandam et primum quidem tantum eam negotiationem, quae ei cum rege Cappadociae, Ariobarzane, erat. Atticus precibus Bruti commotus stimulos tantopere Ciceroni admovit, ut is rescriberet (ad Att. V. 18, 4): „ego tui Bruti rem sic ago, ut suam ipse non ageret; sed iam exhibeo pupillum, neque defendo: sunt enim negotia et lenta et inania. faciam tamen satis, tibi quidem, cui difficilius est quam ipsi; sed certe satisfaciam utrique." velim verba „tui Bruti" respicias; nondum Cicero „nostrum" aut „meum" dicere consuevit, Attici tantum voluntati obsecutus interdum „nostrum Brutum" dicit, ut (ad Att. VI. 2, 7):

---

[1]) Cum quid sibi vox „hic" velit vix intellegatur, glossema redolere videntur verba „hic Brutus."

[2]) Ita censuerunt Drumann: Geschichte Roms, IV. p. 18 et Orelli: Onomasticum Tullianum, VII. p. 320; re vera sollemniter Brutus „Q. Caepio praetor" nominatur ad fam. VII. 21.

„venio ad Brutum tuum, immo nostrum; sic enim mavis." nondum igitur familiaritas maxima est; sed amicitia, qualis inter Ciceronem et Brutum intercessit, non diu floret, immo proximo inde anno sensim dissuitur.

704.

Iam enim exeunte anno 704 Brutus etiam in altera negotiatione Ciceronis adiumentum quaesivit, quamquam suam esse rem celavit (ad Att. V. 21, 10—13). Scaptium, hominem ab omni modestia remotum, ad Ciceronem misit, ut culpam negotii infamia quadam aspersi transferret in procuratores. cum autem Bruto videretur Cicero invitus Scaptio morem gerere, Atticum precibus adiit, ut Ciceronem excitaret (ad Att. VI, 1, 3), ipseque in epistulis se minime Ciceroni praebuit amicum, sed quidquid petivit, ut officium debitum a Cicerone petivit (l. l. § 7, VI. 3, 7), fretus amicitia et auxilio Attici. qui studiosissimus Bruti, ut eius negotiis inserviret, praecepta, quae ipse de provincia bene administranda Ciceroni dederat (ad Att. VI. 1, 8), neglexit, quod reprehendit Cicero his verbis (ad Att. VI. 2, 9): „nimis, nimis, inquam, in isto Brutum amasti, dulcissime Attice, nos vereor ne parum." ex omnibus, quos supra laudavi, locis satis apparet Ciceronem invitum, ut Attico satis faceret, negotia Bruti egisse Brutumque Cicerone non amico sed procuratore usum esse. atque peregit Cicero Bruti rem mense Iunio, antequam provincia decessit (ad Att. VI. 3, 5). quid miramur in proximis inde a mense Iunio scriptis epistulis Ciceronis nullam Bruti mentionem fieri? nempe id effecit Cicero, quod minatus est (ad Att. VI. 3, 7): „huius nebulonis oratione si Brutus moveri potest, licebit eum solus ames, me aemulum non habebis."

705.

Probabile est familiaritatem Ciceronis et Bruti, quae tantum negotiorum causa intercessit, interruptam fuisse per totum annum 705, cum Brutus cum P. Sextio in Ciliciam profectus esset (Plut. Brut. 4). nulla enim vestigia in 70 huius anni epistulis ad Atticum exstant.

706.

Quod etiam intellegere potes ex frigidis verbis, quibus Cicero se Brutum in castris Pompeii reperisse Attico nuntiat (ad Att. XI. 4, 2): „Brutus amicus; in causa versatur acriter.“ sed iam ineunte mense Novembri Cicero Brundisium revertit neque postero tempore de Bruto commemorat.

707.

Tamen consuetudinem litterarum inter eos permansisse apparet, quia mense fere Sextili Cicero epistulam a Bruto in Asia scriptam accepit (Cic. Brut. 3, 11). omnino pauca de hoc anno comperimus, cum non plus 17 epistulae ad Atticum exstant.

708.

Neque multum ex novem epistulis anno 708 ad Atticum scriptis lucramur; in quibus semel Bruti mentio fit (XII. 5, 3), ubi Cicero de eius epitoma Fanniorum verba facit. sed alia nobis praesto sunt indicia, quibus demonstratur, qualis familiaritas fuerit. cum enim Brutus a Caesare Galliae Cisalpinae praefectus (ad fam. VI. 6, 10) ex Cicerone petivisset, ut sibi librum inscriberet, Oratorem Cicero ad eum misit, quem is vituperavit (ad Att. XIV. 20, 3). certe hanc reprehensionem non signum familiaritatis dicimus, quam satis exiguam fuisse intellegimus etiam ex epistulis datis ad Brutum commendatitiis, quae in libro XIII ad fam. 10—14 exstant. e. g. in epistula XI Cicero ponit [1]) Brutum scire, cuius municipii sit: „quia semper animadverti studiose te operam dare, ut ne quid meorum tibi esset ignotum, propterea non dubito quin scias, non solum cuius municipii sim, sed etiam quam diligenter soleam meos municipes [Arpinates] tueri.“ alterum petimus testimonium ex verbis Ciceronis in libro, qui inscribitur Brutus, anno 708 composito (5, 21): „quem ego sermonem, cum ad Brutum *tuum vel nostrum potius* detulissem, magno opere hic audire se velle dixit.“ iam ante Oratorem sed eodem isto anno Cicero ad Brutum Paradoxa [2]) scripsit.

---

[1]) Drumann: Geschichte Roms VI. p. 284.

[2]) Teuffel: Röm. Litteraturgeschichte § 173, 3.

709.

Iam venimus ad annum 709. mense Februario Tullia mortua est, quamobrem Brutus litteras consolatorias Ciceroni misit (ad Att. XII. 13. 14, 3). at is dubitaivt, num responderet (ad Att. XII. 15); Attici denique iudicio permisit, utrum responsum reddendum esset an non (XII. 18, 2). et hoc quidem factum nondum maximam familiaritatem fuisse testatur. mox irato in Brutum animo Cicero ob eius laudationem Catonis fuit; questus est scilicet Brutum, ut Catonem laudibus efferret, obtrectasse ipsi de re publica bene merito, his verbis iram effundens (ad Att. XII. 21, 1): „hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit „optimum consulem“ *quis enim ieiunius dixit inimicus?*“ redeuntem deinde e Gallia exeunte mense Martio Brutum videre noluit duabus praesertim de causis, quod et senatum et Publiliam vitabat commoratus in praediis (ad Att. XII. 29, 1). quod quidem cum Brutus aegre tulerit, cum Cicerone dissidere videtur; nam is Attico exeunte mense Aprili mandat (XII. 36, 2): „ad Brutum si quid scribes, nisi alienum putabis, obiurgato eum, quod in Cumano esse noluerit propter eam causam, quam tibi dixit; cogitanti enim mihi nihil tam videtur potuisse facere rustice.“ Brutus par pari rettulit Ciceronem obiurgans (vide infra p. 13).

Huc usque nullum indicium reperimus, quod testatur Ciceronem intima familiaritate coniunctum fuisse cum Bruto, immo nisi Atticus amicitiae patrocinatus esset, futurum fuisse videbatur, ut ea dissueretur. nunc vero alter alterum melius ab ineunte mense Iunio cognovit, cum crebrius inter se in praediis viderent adessetque Ciceronis rogatu (ad Att. XIII. 4, 2. 5, 2) saepe Atticus, qui orientem veram amicitiam adiuvaret, quamquam diversae de re publica sententiae obstabant (ad Att. XIII. 10, 3). primum Brutus Ciceronem in Tusculano convenit (ad Att. XIII. 7, 2). vides etiam, quantum discrepent a ratione iniqua, qua prius Cicero de Bruti moribus factisque iudicium facit, verba placida, quibus de divortio illius cum Attico communicat (XIII. 40, 1. 10, 3): „Brutus si quid [egerit], curabis ut sciam; cui quidem quam primum agendum puto, praesertim si statuit; sermunculum autem omnem aut

restinxerit aut sedarit: sunt enim qui loquantur etiam mecum. sed haec ipse optime, praesertim si etiam tecum loquetur.“ scripsit tunc Cicero ad Brutum libros de finibus (ad Att. XIII. 12, 3) et valde afflictus est, quod Balbus quintum librum prius quam Brutus legisset (ad Att. XIII. 21, 4. 22, 3). etiam ex crebris quaestionibus in epistulis ad Atticum (XIII. 14, 2. 16, 2. 17.) argumentum sumimus Ciceronem amare Brutum coepisse. qui cum Caesari ex Hispania redeunti obviam iturus ante discessum Ciceronem in Tusculano convenire vellet, is se malle Romae quam in Tusculano Brutum videre respondit (ad Att. XIII. 23, 1); nam ibi ei negotia erant, auctio hortorum et testamentum obsignandum, ad quod etiam Brutum adhibere voluit testem (ad Att. XIII. 25, 2). dum Brutus abest, Cicero Porciae, Domitii Ahenobarbi uxoris, laudationem scripsit (ad Att. XIII. 37, 3), quam post Kal. Sext. Bruto per Atticum mittendam curavit (ad Att. XIII. 48, 2). sed cave credas meram iam ac veram inter Ciceronem et Brutum intercessisse familiaritatem; nam redeuntem Brutum Romae videre Cicero noluit ut Caesaris asseclam (ad Att. XIII. 39, 2); tamen paulo post in Tusculano eum recepit (ad Att. XIII. 44, 1). inter Caesaris comites, qui eum ex Hispania secuti sunt, Brutus etiam Q. Ciceronis filium viderat, cuius ut animum patruo reconciliaret, operam dedisse visus est (ad Att. XIII. 38, 1. 40, 1. 41, 2).

710.

Idibus Martiis anno 710 etiam ea causa, de qua Cicero et Brutus ad id tempus inter se dissidebant, sublata est, stabant ab iisdem partibus, ut rem veram Cicero ad Dolabellam scriberet (ad Att. XIV. 17, A. 5, ad fam. IX. 14, 5): „semper amavi, ut scis M. Brutum propter eius summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam: tamen Idibus Martiis tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatum etiam videbatur.“ inde ab illo tempore de republica inter se multa per crebras litteras communicant; Atticus enim Ciceronem rogavit, ut pro Bruto contionem scriberet (ad Att. XIV. 20, 4),

quod ille repudiavit, se iam Bruto Attici rogatu edictum scripsisse respondens, sed „meum mihi placebat, illi suum.“ tunc etiam Brutus Ciceronem precibus adiit, ut orationem suam in Capitolio habitam corrigeret; sed is petenti hoc denegavit, cum de genere dicendi valde dissentirent (ad Att. XV. 1b, 2. 3, 2). exeunte mense Maio consilium Brutus petivit, utrum Romam rediret an Lanuvii maneret, a Cicerone ipso dubitante, quid sibi faciendum esset (ad Att. XV. 5, 1). mox cum deliberatum convenissent Antium et Cicero et Brutus et eius mater, soror, uxor (ad Att. XV. 11), constitutum est, ut absente Bruto ludi fierent. paulo post Cicero iterum Brutum videre cupivit (ad Att. XV. 16, 6); nulla tamen, ut videtur, per mensis spatium occasione conveniendi data (ad Att. XV. 29, 1), demum a. d. VIII. Id. Quintiles Brutum Cicero in Neside vidit et cum eo moleste tulit, quod ludi proscripti essent „Nonis Iuliis“ (ad Att. XVI. 1, 1). ceterum Cicero iterum atque iterum ex Puteolano ad Brutum in Nesidem ibat, ut cum eo de navigatione communi deliberaret (ad Att. XVI. 4, 4). iterum a. d. XVI. Kal. Septembres Cicero Brutum Veliae vidit (ad Att. XVI. 7, 5). velim respicias speciem familiaritatis, quantum ab illa priorum annorum discrepet: non sufficiunt epistulae, saepius convenitur, consentitur.

711.

Eadem maxima familiaritate coniunctos esse Ciceronem et Brutum anno proximo perspicimus, quamquam epistulae ad Atticum nos deficiunt, ex epistulis ad D. Brutum et ad Cassium. semper enim Cicero toto studio et animo in rem M. Bruti incumbere videtur (ad fam. XII. 4, 2. 5, 1), atque ei erat persuasum spem omnem esse in Cassio et in Bruto (ad fam. XII. 6, 2. 8, 1), cui crebris litteris quasi calcar admovebat, ut in Italiam veniret (ad fam. XI. 25, 1).

II.

Nunc epistulas, quae indagari possunt, secundum temporis ordinem enumeraturus sum.

703.

Prima, quam reperimus, epistula est Bruti perlata ad Ciceronem mense Quintili; nam legimus (ad Att. VI. 3, 5): „Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfactum: is a me tribunatum cum accepisset, quem ego *ex Bruti litteris* ei detulissem, postea scripsit ad me se uti nolle eo tribunatu. Gavius est quidam, cui cum praefecturam detulissem *Bruti rogatu*, multa et dixit et fecit cum quadam mea contumelia, P. Clodii canis.“ (Confer etiam ad Att. VI. 1, 4). iam anno 703 haec facta esse docent ea, quae subsequuntur: „is me nec proficiscentem Apamea [1]) prosecutus est, nec, cum postea in castra venisset atque inde discederet, num quid vellem, rogavit, et fuit aperte mihi nescio qua re non amicus.“ profectus est Cicero a. d. VII. Kal. Sext. Apamea et in castra venit a. d. VII. Kal. Sept. iamque Scaptio et Gavio praefecturas Apameae detulerat. litterae igitur Bruti, quibus petiverat, ut praefecturae darentur, redditae esse videntur mense Quintili. — sequuntur duae epistulae, altera Bruti, qui animo demisso se de prospero negotii eventu desperare scripsit, altera Ciceronis, qua eum hortatur et confirmat (ad Att. V. 20, 6): „sed ad praeterita revertamur .... interea e Cappadocia ne pilum quidem; *Brutum abiectum, quantum potui,* excitavi.“ scripsit Brutus, cum nuntius Romam venisset et Ciceronis litterae de tumultu Cappadociae in senatu Nonis Oct. (ad Att. V. 21, 2 ex.) recitatae essent, ineunte mense Octobri; nam videmus ab a. d. X. Kal. Oct., quo die ad Atticum epistulam V. 18 scripserat (l. l. § 4), intercessisse sat longum spatium usque ad diem, quo Bruti epistulam acceperat, cum interea e Cappadocia nihil novi audivisset, atque ex eo die, quo Bruto rescripsit, interiectum esse aliquid temporis usque ad a. d. XIV. Kal. Ian.,

---

[1]) Traditum est „proficiscentem Apameam“; Bootii correcturam secutus sum, eius argumenta probans.

quo ad Atticum epistulam V. 20 scripsit. ergo statuimus, tabellarium in itinere plus quinquaginta dies consumpsisse ponentes (confer ad Att. V. 19, 1), circiter Kal. Decembres vel paulo post a Bruto Ciceronem litteras accepisse iisque rescripsisse.

Exeunte anno 703 ad Ciceronem in castra alter Scaptius venit petens a proconsule, ut Salaminios cogeret pecuniam solvere,[1]) attulitque libellum mandatorum Bruti, in quo et ipse et P. Matinius laudabantur (ad Att. V. 21, 10): „nunc cognosce de Bruto. familiaris habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum ex Cypro, M. Scaptium et P. Matinium, quos mihi maiorem in modum commendavit. Matinium non novi; Scaptius ad me in castra venit: pollicitus sum curaturum me Bruti causa, ut ei Salaminii pecuniam solverent.“ mandatorum autem libellum non differre a litteris commendatitiis Scaptio datis statuo, respiciens locum (ad Att. VI. 1, 5): „quin etiam libellum ipsius habeo, in quo est »Salaminii pecuniam debent M. Scaptio et P. Matinio, familiaribus meis.« eos mihi commendat; adscribit etiam et quasi calcar admovet, intercessisse se pro iis magnam pecuniam.“ apparet enim ex his verbis commendationem subsequi ea, quae ipsis Bruti verbis afferuntur. summa autem libelli erat negotium cum Ariobarzane agendum (l. l. § 3): „mandatorem autem mihi libellum dedit, isdemque de rebus tu mecum egeras. omnia sum diligentissime persecutus. primum ab Ariobarzane sic contendi, ut talenta, quae mihi pollicebatur, illi daret.“

704.

Ineunte anno 704 Scaptius Tarsum revenit, unde Cicero Nonis Ianuariis profectus est, una cum Salaminiis, ut causa a proconsule diiudicaretur; sed illo impudentius flagitante dilata est. non contentus deinde praefecturis, quas Scaptius et Gavius acceperant (ad Att. VI. 1, 4. 3, 5), Brutus epistula mense

---

[1]) De hac negotiatione scripsit peculiari dissertatione Savigny: Ueber den Zinswucher des M. Brutus. Abhandlungen der Berliner Akademie. 1818. 1819. p. 179—188.

Februario perlata rogavit, ut etiam huic Scaptio, cui cum Salaminiis res erat, praefecturam daret, adiecitque, ut precibus pondus adderet, rem suo esse periculo (ad Att. VI. 1, 6 a. d. VI. Kal. Mart.): „atque *hoc tempore ipso impingit mihi epistulam Scaptius Bruti,* rem illam suo periculo esse, quod nec mihi unquam Brutus dixerat nec tibi, etiam ut praefecturam Scaptio deferrem." sed se eam daturum esse Cicero negavit, cum sibi propositum esset nullam deferre praefecturam in provincia negotianti (ad Att. VI. 2, 8): „alias hoc statueramus, ut negotiatorem neminem, *idque Bruto probaveramus*" et § 9: „atque *haec scripsi ego ad Brutum scripsisse te ad me.*"

Praeterea accepisse, quia Bruti tabellarii ad Ciceronem pervenerunt, et dedisse Ciceronem litteras exeunte mense Ianuario Laodiceae cognoscimus ex epistula ad Appium (ad fam. III. 7, 1): „haec scripsi subito, cum *Bruti pueri Laodiceae* me convenissent et se Romam properare dixissent; itaque nullas iis praeterquam ad te et *ad Brutum dedi litteras.*" etiam exeunte fere mense Maio ad Ciceronem litterae perlatae sunt Bruti pro Appio verba facientis, cum quo Cicero eo tempore valde dissidebat (ad Att. VI. 3, 7): „omnino — soli enim sumus — nullas unquam ad me litteras misit Brutus, *ne proxime quidem de Appio,* in quibus non inesset adrogans, ἀκοινώνητον aliquid." ineunte mense Iunio questus est de Gavio (ad Att. VI. 3, 6): „is igitur Gavius, cum Apameae me *nuper* vidisset Romam proficiscens, me ita appellavit — Culleolum vix auderem — »unde, inquit, me iubes petere cibaria praefecti?« .... tibi tamen causam notam esse volui *et ad ipsum* (sc. Brutum) *haec perscripsi diligentissime.*"

Habemus igitur

1) Bruti litteras redditas mense Quint. 703,
2) Bruti epistulam scriptam ineunte mense Octobri 703,
3) Ciceronis responsum datum ineunte mense Decembri 703,
4) Bruti libellum mandatorum perlatum exeunte anno 703,
5) Bruti epistulam acceptam mense Ianuario 704 et
6) Ciceronis responsum,
7) Bruti epistulam acceptam mense Februario 704 et
8) Ciceronis responsum,

9) Bruti litteras de Appio perlatas exeunte mense Maio 704,
10) Ciceronis epistulam de Gavio datam mense Iunio ineunte 704.

At non mihi persuasum est has esse omnes annorum 703 et 704 epistulas, cum res ferret, ut de negotiis agendis saepius scripsissent; itaque necesse est, plures fuisse horum annorum epistulas ponamus, conferentes etiam locum ad Att. VI. 1, 7.

705.

Iam supra (p. 3) dixi nulla vestigia familiaritatis anno 705 inter Brutum et Ciceronem intercedentis exstare; tamen eos hanc ob causam omnino non epistulas mutuas scripsisse non contendo, praesertim cum Bruto in Cilicia negotia sua agenti communicandum fuisse cum Cicerone de rebus iam gestis videatur.

706.

Neque epistulam anni 706 commemoratam invenimus; sed cum Cicero et Brutus in castris Pompeii inter se vidissent, ubi Cicero per menses Iunium, Quintilem, Sextilem, Septembrem permansit, redintegrataque amicitia iis eaedem de re publica sententiae essent, etiam litteras mutuas postea scripsisse eos non est negandum. omnino paucae ad nos pervenerunt epistulae anni 706, sunt enim sedecim epistulae Ciceronis, octo ad Atticum, octo ad Terentiam.

707.

Neque de epistulis anni 707 quidquam cognoscimus ex epistulis ad Atticum datis, quarum nobis septendecim praesto sunt. invenimus tamen epistulam Bruti, cuius quidem mentio in Bruto Ciceronis fit; litteras scripsit Brutus ex Asia, in quam Caesari obviam iverat. audiamus Ciceronem (3, 11): „vos vero, inquam, Attice, et praesentem me cura levatis et absenti magna solatia dedistis. nam vestris primum litteris recreatus me ad pristina studia revocavi. tum ille: legi, inquit, perlubenter epistulam, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi visus est et monere te prudenter et consolari amicissime. 12) recte, inquam, est visus. nam me istis scito litteris ex diuturna perturbatione totius valetudinis tamquam ad aspi-

ciendam lucem esse revocatum. atque ut post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam proelio populus se Romanus erexit posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt, sic post rerum nostrarum et communium gravissimos casus nihil ante epistulam Bruti mihi accidit, quod vellem aut quod aliqua ex parte sollicitudines adlevaret meas." considerantes, qualia tempora depingantur, intellegimus cum clade Cannensi comparari pugnam apud Pharsalum commissam, quam Cicero in numero gravissimorum casuum rerum communium ponit; et qui sint casus rerum Ciceronis, facile cognoscitur: iam enim divortium cum Terentia faciendum mente agitabat (ad Att. XI. 16, 5), Quinti et pater et filius se fratri inimicos praebebant (ad Att. XI. 5, 4. 8, 2. 9, 2. 16, 4. 21, 1), Tullia aegrotabat (ad Att. XI. 6, 4), ad haec omnia accessit, quod ipse Brundisii commorationem aegre ferens nesciebat, quo in se animo esset Caesar. ex quibus facile perspicitur, quo nuntio Brutus Ciceronis animum excitaverit; nuntium dico de Caesare indulgente. quamquam hoc nos celat Cicero epistulamque consolatricem et hortatricem dicit (confer Cic. Brut. 96, 330), tamen necesse est sumamus aliud accessisse, quod litteris pondus addiderit, scilicet eas non vana solatia sed firmam fidem dedisse. epistula igitur est scripta, postquam Brutus Nicaeae Caesarem convenit Pharnace apud Zelam a. d. IV. Nonas Sextiles devicto. atque certe haec epistula testatur consuetudinem litterarum fuisse Ciceroni et Bruto, sed non crebras esse datas epistulas.

708.

Pervenerunt ad nos epistulae anno 708 ad Brutum datae in libro illo tertio decimo ad familiares epistulas commendatitias exhibente (10—14). etiam alias hoc anno epistulas esse scriptas nos locus in ep. ad Att. XIV. 20, 3 docet: „quin etiam cum ipsius precibus paene adductus scripsissem ad eum »de optimo genere dicendi«, non modo mihi, sed etiam tibi scripsit sibi illud, quod mihi placeret, non probari." dantur igitur et accipiuntur epistulae, in quibus cum de aliis rebus, tum de eloquentia agitur (vide infra p. 22).

709.

Accuratius compertum habemus, quanta epistularum consuetudo annis proximis fuerit.

Prima anni 709 epistula invenitur consolatoria Bruti de morte Tulliae a Cicerone mense Martio accepta (ad Att. XII. 13, 1): „Bruti litterae, scriptae et prudenter et amice, multas mihi tamen lacrimas attulerunt": (idem ad Att. XII. 14, 4). Cicero suadente Attico paucis diebus post rescripsit (ad Att. XII. 15 in fine): „Bruto, ut suades, rescribam: eas litteras cras habebis. cum erit cui des, dabis." (idem ad Att. XII. 18, 2). mox Brutus decedens provincia Gallia Cisalpina exspectatus est, neque ullas misisse litteras post illam consolatoriam videtur, quia Cicero eius adventum ex Attico sciscitatur (ad Att. XII. 18, 3. 27, 3). cum reversum Cicero Romae videre noluisset seque de hac re per litteras excusavisset (sic enim statuendum esse credo; nam videmus non venisse Romam Ciceronem manentibus duabus illis causis, quibus se prohiberi dixit ad Att. XII. 29, 1), irato animo epistulas misit Brutus primum Attico (XII. 36, 2 „propter eam causam, quam tibi dixit") deinde etiam Ciceroni, obiurgans eum; scilicet ea est epistula, de qua is (ad Att. XII. 37, 1): „quod mihi Bruti litteras," inquit, „gratum; ad me quoque misit. eam ipsam ad te epistulam misi et ad exemplum mearum litterarum." Bruti obiurgatoriam fuisse epistulam dixi, existimans epistulas loco, quem supra attuli, laudatas easdem esse, de quibus Cicero verba facit ad Att. XIII. 6, 3: „quod epistulam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum, sed tamen salvum est et ait Tiro te habere oportere et, ut recordor, *una cum illius obiurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi.*" nam inter tempus, quo hae (XIII. 6) litterae sunt scriptae, et quo Attico misit epistulas, spatium satis magnum intercessisse videtur, ut Atticus oblivisci posset se eas accepisse, et habemus fere mensem, ab ineunte mense Maio ad Iunium. quales autem fuerint obiurgationes, cognoscere possumus ex verbis (ad Att. XII. 38, 3): „quod putas oportere pervideri iam animi mei firmitatem graviusque quosdam scribis de me loqui *quam aut te scribere*

aut Brutum" et q. s. nam epistula XII. 38 ad Atticum scripta esse videtur paucis diebus post epistulam 37, nullis interea ab Attico litteris acceptis (XII. 38 initio: „non dubito quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum; sed homo nequam, qui tuum commodum non exspectarit, cum ob eam unam causam missus esset!") nullam igitur aliam Bruti epistulam his verbis dicere potest Cicero atque eam, quam ab Attico missam accepit similia exhibentem ac Bruti ad Ciceronem epistula. et Atticum quidem puto, cum acceptam a Bruto epistulam una cum sua Ciceroni misisset, suis litteris declaravisse, bene locutum esse Brutum, qui Ciceronem adhortatus esset, ne nimis dolori indulgeret, cum is hac de causa se Brutum vitasse excusans scripsisset. [1]) mox autem reconciliatis animis Brutus Ciceroni se in Tusculanum esse venturum nuntiat (ad Att. XIII. 3, 2): „de Bruti adventu eram factus certior; attulerat enim ab eo Aegypta libertus litteras." Brutus Ciceronem ineunte mense Iunio convenit (ad Att. XIII. 7, 2), cum is in Tusculanum venisset a. d. XVI. Kal. Iunias (ad Att. XII. 44, 3) [2]) et inde Arpinum profectus esset a. d. XI. Kal. Quintiles (ad Att. XIII. 10, 3); sed non diu adfuit, cum iam epistula ad Att. XIII. 9, 2. Cicero nuntium de Bruto posceret. ipso mense Iunio ad eum epistula Bruti perlata est (ad Att. XIII. 10, 3): „misit enim Brutus ad me: per litteras purgat Caesarem de interitu Marcelli, in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspitio." proximis inde temporibus iterum Bruti epistulis Cicero caret, quem

---

[1]) Confer ad Brutum I. 9, 1.

[2]) Erravit Drumann (VI. p. 296) in temporum serie, cum diceret a. d. XVIII. Kal. Quint. Astura Ciceronem profectum esse et paulo post a. d. XI. Kal. Sext. in Arpinati fuisse. nam mense Martio, Aprili usque ad Idus Maias Asturae commoratus est (ep. ad. Att. XII. 42 data est Asturae a. d. VI. Idus Maias), unde profectus postridie Id. Maias (ad Att. XII 42. 44, 3) diu dubitans, utrum in Tusculanum, an Romam et inde Arpinum iret (ad Att. XII. 43) se contulit in Tuscalanum a. d. XVI. Kal. Iunias (ad Att. XII. 44, 3). ibi per reliquum mensem Maium et per Iunium mansit exspectans tabulam hortorum (ad Att. XII. 49). e Tusculano profectus iter fecit Arpinum (ad Att. XIII. 9) a. d. XI. Kal. Quintiles (ad Att. XIII. 10, 3); fuerunt enim qui opinarentur eum in

crebris epistulis ex Attico quaerere videmus, quando Brutus Caesari obviam ire voluerit (ad Att. XIII. 14, 2. 16, 2. 17); neque ipse ad eum scribit, cum de libro „de finibus“ mittendo per Atticum cum eo communicet (ad Att. XIII. 12, 3): „nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν sane mihi probatam Bruto, ut tibi placuit, despondimus, idque eum non nolle mihi scripsisti.“ etiam se optare constituto loco cum Cicerone loqui per Atticum nuntiat Brutus; nam Cicero scribens (ad Att. XIII. 23, 1): „Brutus mallem me arcesseret,“ rescribit Attici epistulae (l. l. „antemeridianis tuis litteris heri statim rescripsi; *nunc respondeo vespertinis*“). et cum Brutum certiorem faciat se Idibus Romam venturum esse, eum non respondere illius epistulae docent verba (ad Att. XIII. 25, 2): „*scripsi* igitur ad Brutum iam illud, quod putassem, Idibus nihil opus esse.“ velim respicias non dicere »rescripsi« Ciceronem, sed »scripsi.« (idem ad Att. XIII. 33, 5.[1]) datam autem esse eam statuo paucis diebus post Nonas Quint., cum in Tusculano Ciceronem epistulam XIII. 33. scripsisse ponamus ex verbis § 4: „de Varrone loquebamur: lupus in fabula; venit enim ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset.“ vicinus enim erat Varro Ciceroni in Tusculano habitanti. deinde cum Cicero Romae Brutum testamento obsignando adesse voluisset Idibus Quint. aut iam alio die ipseque Nonis Quint. in Tusculanum

---

Tusculano esse aut Romae *a. d. VIII. Kalendas Quintiles* (ad Att. XIII. 12, 4). in Tusculanum revertisse Cicero videtur Nonis Quint. (ad Att. XIII. 14, 1, 16, 2), tum demum Romam profectus est, cum horti proscripti essent in a. d. III. Id. Quint. (ad Att. XIII. 14, 1). sed tabula dilata esse videtur in Idus Quint. (ad Att. XIII. 33, 4 ex.), quem post diem Brutum Romae adesse voluit (ad Att. XIII. 25, 2) et ipse pridie Idus Quint. Romam ivit (l. l.). ibi non diu commoratus iam a. d. VIII. Kal. Sext. (Boot: VIII. Kal. Quint., Drumann: VIII. Kal. Sept.) Asturam pervenit (ad Att. XIII. 34) et Kal. Sextilibus se in Tusculanum conferre mente agitavit (ad Att. XIII. 47b). vide adnotationem p. 16.

[1]) Contra Bootium monendum est ex verbis: „scripsi enim ad eum *heri* Idibus eius opera mihi nihil opus esse“ apparere, epistulam XIII. 33 die intermisso subsequi epistulam XIII. 25, non, quod Boot in tabula textui praemissa constitutum vult, epistulam XIII 33 antecedere epistulam XIII. 6; quod idem valet in indicem Orellii III. 2. p. 433.

revertisset, convenisse inter se eos credo ex verbis (ad Att. XIII. 44, 1): „Brutus apud me fuit, cui quidem valde placebat me aliquid ad Caesarem.“ nam hanc epistulam subsequi litteras ad Att. XIII. 19, extr. 22, 3. 23, 2. 24. 25, 3. 35. elucet ex iis, quae de libris Varroni datis cum Attico communicantur. paulo igitur post Idus Quint. Brutus Caesari obviam profectus rediit ineunte mense Sextili,[1]) nullis interea epistulis ad Ciceronem missis (ad Att. XIII. 39, 2): „Romam, ut censes, veniam, sed invitus; valde enim in scribendo haereo. Brutum, inquis, eadem. scilicet. sed nisi hoc esset, res me ista non cogeret; nec enim inde venit, unde mallem, neque diu afuit, *neque ullam litteram ad me.* sed tamen scire aveo, qualis ei totius itineris summa fuerit.“ iam nos fere inde ab Idibus Sextilibus usque ad finem anni epistulae ad Atticum deficiunt; tamen ex omnibus, quae supra de epistulis ad Brutum hoc anno datis attuli, sumendum est sat multas inter se epistulas Ciceronem et Brutum scripsisse.

Epistulae igitur, quas anno 709 scriptas invenimus, sunt hae:

1) consolatoria Bruti mense Martio accepta,
2) Ciceronis eodem mense rescripta,
3) obiurgatoria Bruti mense Maio data,
4) responsum Ciceronis eodem mense scriptum,
5) Bruti de adventu suo exeunte mense Maio et
6) Bruti de morte Marcelli mense Junio scriptae,
7) Ciceronis ineunte mense Quintili data.

[1]) Cum mirum in modum discrepent editores de temporum serie epistularum, sic statuendum esse existimo. in iis, quae supra contra Drumannum monui, demonstravi paulo post Idus Quint. Brutum esse profectum, cumque eum non diu afuisse Cicero dicat (ad Att. XIII. 39, 2), in propatulo est eum ineunte mense Sext. Romam revertisse. Caesaris autem adventus primum exspectabatur in Kal. Sextiles (ad Att. XIII. 21, 6). et Lepidus quidem hac de causa Ciceronem Kal. Sext. in senatu adesse vult, quod Caesar hoc die adventurus esse putatur; a. d. VIII. Kal. Sext. Asturam proficisci cogitans Cicero veritus est, ne Caesar subito appropinquaret (ad Att. XIII. 38 in fine 51, 2), qui tum ante ludos Romanos (ex pridie Non. Sept. usque ad pridie Idus Sept. vide Liv. I. 35, 9, Fogginii fastos p. 113) venturus dictus est (ad Att. XIII. 45, 1. 46, 2. 50, 3) et Romae adesse videtur circiter Idus Sextiles (ad Att. XIII. 47a) prius, quam exspectatus est (ad fam. VII. 25, 1).

710.

Processimus usque ad annum 710. Caesare necato postquam interfectores urbem reliquerunt, Cicero mense quidem Aprili incertus fuit, ubi Brutus esset, iterum atque iterum de eo nuntium ab Attico petens (ad Att. XIV. 1, 2. 4, 2. 7, 1. 8, 2. 10, 1. 11, 1. 12, 3); Kalendis Maiis autem ab Attico certior factus (ad Att. XIV. 15, 3) se nullo loco Bruto defuturum promisit. qui cum deinde ipse ad Brutum in Pompeiano a. d. IV. Nonas Maias scripsisset (ad Att. XIV. 17, 4: „ad Brutum nostrum, ad Cassium, ad Dolabellam epistulam scripsi"), ab eo responso perlato statim rescripsit in Puteolano a. d. V. Idus Maias (ad Att. XIV. 20, 4: „gratas fuisse meas litteras Bruto et Cassio gaudeo; itaque iis rescripsi"). a. d. XV. Kal. Iunias tabellarius ad Ciceronem venit perferens orationem Bruti in Capitolio habitam eiusdemque litteras, quibus a Cicerone, ut eam corrigeret, petivit (ad Att. XV. 1b. 2: „Brutus noster misit ad me orationem suam habitam in contione Capitolina petivitque a me, ut eam sine ambitione corrigerem ante, quam ederet."); qui cum iam paulo ante a. d. XVI Kal. Iunias epistulam Bruti accepisset rogantis, ut sibi eum ante Kalendas convenire liceret (ad Att. XV. 1 a, 5: „quod Brutus rogat, ut ante Kalendas, ad me quoque scripsit, et fortasse faciam."), per Atticum iterum quaerenti (ad Att. XV. 4, 2) per eundem nuntiavit se in Tusculano fore a. d. VI Kal. Iunias, mox ipse epistulam misit (ad Att. XV. 4, 5 (4b): „quam vellem Bruto studium tuum navare potuisses! ego igitur ad eum litteras"). tabellarius aliquot diebus anet Kal. Iunias rediit attulitque et a Bruto et a Cassio litteras, quibus tum ille consilium Ciceronis quaesivit, cum uterque, ut Hirtium meliorem redderet, a Cicerone petivit (ad Att. XV. 5, 1: „a Bruto tabellarius rediit; attulit et ab eo et Cassio litteras: consilium meum magno opere exquirunt, Brutus quidem, utrum de duobus.") haec enim ante Kalendas evenisse epistula ad Att. XV. 6 demonstrat, quippe cum qua iam epistula ab Hirtio Ciceronis litteris rescripta ad amicum mittatur. Bruti epistulae quidem Cicero non respondisse videtur, cum ipse consilio egens non haberet, quod rescriberet (ad Att. XV. 5, 1: „o rem miseram! plane non

habeo, quod scribam“). qua re consilii inopia aucta litteras misit Brutus omni spe destitutus ad Atticum (XV. 9, 2), postquam litteras Antonii accepit respondentis ad ea, quae in epistula (ad fam. XI. 2) Brutus et Cassius rogaverant, et nuntius pervulgatus est senatum fore Nonis, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent (ad Att. XV. 9, 2). mox cum de hac legatione ipse Brutus ad Ciceronem scripsisset se cum eo Antii deliberare velle, laeto animo hic se esse venturum rescripsit (ad Att. XV. 10, 1 et in fine: „statim igitur mittam vel Antium vel Circeios“). convenerunt igitur inter se a. d. VI. Idus Iunius (ad Att. XV. 11. 12), sed non diu una erant; iam enim Idibus Iuniis iterum Cicero Brutum videre optavit (ad Att. XV. 16 b: „tu, quaeso, fac sciam, ubi Brutum et quo die videre possim.“ idem ad Att. XV. 17, 1). cum eo scilicet de ludis administrandis colloqui voluit; quod ex verbis colligimus (ad Att. XV. 18, 2): „de Bruto, cuius etiam ludorum [suorum] curam [etiam administrationem] suspicor ex magna parte ad te pertinere, ut ergo in eiusmodi re, tribues nobis paulum operae; nec enim multum opus est.“ quamquam tum Ciceronis sententia Bruto subito proficiscendum erat (ad Att. XV. 20, 3), tamen is non ante ludos peractos proficisci constituit, qua de causa Cicero ei litteras misit (ad Att. XV. 23 in fine: „ego litteras misi ad Brutum, cuius de itinere etiam ex te velim, si quid scies, cognoscere.“); sed tabellarius infecta re rediit a. d. VII Kal. Quint. (ad Att. XV. 24) nuntians illum iam esse profectum, iterumque missus in Anagninum rettulit Bruti litteras, quibus is Ciceronem rogavit, ut ludos spectaret (ad Att. XV. 26, 1). quas quidem litteras se ipsum interpretari non posse confessus (ad Att. XV. 28) Cicero ad Atticum misit et paulo post alias Bruti, quas accepisse a. d. III. Nonas Quint. videtur (ad Att. XV. 29, 1): „Bruti ad te epistulam misi. di boni! quanta ἀμηχανία! cognosces, cum legeris.“ aliam enim dico epistulam, quia litteras illas de ludis spectandis a. d. VI. Nonas miserat, Atticus igitur eas iam legerat (confer eandem temporis rationem ad Att. XVI. 4, 1. Atticus Romae erat XVI. 2, 2), cum Cicero a. d. III Nonas scriberet »cognosces,

cum legeris.« tum in Puteolanum profectus Cicero a. d. VIII Idus Quint. ad Brutum in Nesidem ivit (ad Att. XVI. 1, 1), quem se visurum esse iam a. d. III. Kal. Quint. scripserat (ad Att. XV. 25). cum autem et a. d. VII. Idus Brutus ab eo conventus esset (ad Att. XVI. 5, 1) neque a. d. VI, statim ei scripsit (ad Att. XVI. 2, 1), ut adveniret, quod Cicero proximo die fecit; demum post Idus Quint. a Neside profectus esse videtur (ad Att. XVI. 6, 3), et Cicero e Pompeiano discedens se a. d. X Kal. Sextiles Vibonem contulit. deinde in Leucopetra ventum exspectanti attulerunt Neapoli a Bruto et a Cassio Rhegini quidam litteras missas ad consulares et praetorios, quibus verba ad ipsum Ciceronem addita erant (ad Att. XVI. 17, 1: „addebant etiam me desiderari, subaccusari"). qui paucis diebus post Brutum Veliae vidit a. d. XVI Kal. Sept.. quid Septembri mense factum sit, nescimus; mense autem exeunte Octobri nuntio de Bruto carere Ciceronem cognoscimus (ad Att. XV. 13, 4. XVI. 8, 2).

Epistulae, quas reperimus, datae sunt:

1) Ciceronis a. d. IV. Nonas Maias,
2) Bruti accepta a. d. V Idus Maias,
3) Ciceronis a. d. V. Idus Maias,
4) Bruti reddita paulo ante a. d. XVI Kal. Iunias,
5) Bruti de oratione sua, accepta a. d. XV Kal. Iun.,
6) Ciceronis exeunte mense Maio,
7) Bruti consilium petentis ante Kal. Iunias,
8) Bruti circiter Nonas Iunias,
9) Ciceronis eodem tempore,
10) Ciceronis exeunte mense Iunio,
11) Bruti perlata pridie Kal. Quintiles,
12) Bruti accepta a. d. III Nonas Quint.,
13) Bruti reddita a. d. VI Idus Quint.,
14) Bruti et Cassii litterae ad consulares missae additis ad Ciceronem verbis ineunte mense Sextili.

711.

Transeamus ad annum 711. pauca nobis praesto sunt testimonia, primum in epistula ad Cassium (ad fam. XII. 4, 2)

mense Ianuario data: „sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique esses, nesciebam: fama nuntiabat te isse in Syriam; auctor erat nemo. de Bruto, quo propius est, eo firmiora videntur esse quae nuntiantur.“ ex hoc loco colligimus nuntios de M. Bruto allatos esse, sed non epistulas ipsius; si enim epistulas accepisset, non diceret Cicero ea, quae nuntiantur, *videri* firma esse. contra alter locus testatur et accepisse a M. Bruto et ad eum misisse litteras Ciceronem, est enim in epistula ad D. Brutum a. d. XIV Kal. Quint. data (ad fam. XI. 25, 2): „de Bruto autem nihil adhuc certi; quem ego, quem ad modum praecipis, privatis litteris ad bellum commune vocare non desino: qui utinam iam adesset!“ ex his verbis cognoscimus Ciceronem crebris litteris M. Brutum adhortatum esse, ut in Italiam veniret auxilio. M. Brutus autem ad ea, quae Cicero quaesivit, rescripserit, necesse est; nam eius responsum maximi erat momenti ad belli in Italia gesti eventum.

III.

Hac parte dissertationis absoluta exsistit quaestio, qua ratione singuli libri singulorum annorum epistulas continuerint, et quibus temporibus tribuenda sint ea, quae exstant in grammaticorum scriptis fragmenta.

Casu, qui valde dolendus est, accidit, ut qui nobis harum epistularum frustula asservarunt grammatici perpaucis locis libri numerum designarent. nostris igitur rationibus paene omnia efficienda sunt.

Primo libro epistulas annis 703 et 704 datas exstitisse nos docet locus a Servio ad Aen. VIII. 395 laudatus: „Cicero primo libro ad Brutum: »»si Pompeius non ex alto peteret [1]) et multis verbis me iam hortaretur.«« quae quidem verba, cum neque anno 705 nec 706 Ciceroni res cum Pompeio fuerit,

[1]) Becher, qui in omnibus dissertationibus et novissime in Philologo 1885 p. 471 ss. singularia verba praeferre dicit scriptorem epistularum ad M. Brutum, eadem etiam huic loco adnotare potest; nam hac locutione semel utitur Cicero (ad fam. III. 5, 1 repetere) ceterum Accius (apud Nonium p. 237, 22 appetere) et Vergilius (Aen. VIII. 395 petere).

qua impeditus sit, ne Bruto satis fecerit, ad negotia cum Ariobarzane acta referenda sunt; repellit videlicet Cicero Brutum iniqua flagitantem demonstrans Pompeii rem esse priorem atque hunc etiam se precibus adire. quod fecisse Pompeium probatur Ciceronis verbis (ad Att. V. 21, 10. VI. 1, 6), quamquam ei procuratores in Cappadocia erant (ad Att. VI. 1, 3. 3, 5). cum autem eas, quas invenimus, decem epistulas annis 703 et 704 scriptas non nisi particulam omnium fuisse existimandum sit et epistulae, quarum summae negotia agenda fuerint, non breves fuisse possint, eas duos effecisse libros puto.

Annis proximis scilicet 705, 706, 707, 708 cum non magnam fuisse litterarum consuetudinem inter Ciceronem Brutumque cognoverimus, nobis sumere licet singulorum horum annorum epistulas vix singulos libros complexas esse; coniectura igitur efficimus epistulas quidem anni 705, si quae datae sint, libro secundo fuisse additas, ceteras duobus libris comprehensas fuisse. contra annorum 709 et 710 epistulae tam crebrae fuisse videntur, ut epistulas utriusque anni libri modum excessisse diceremus, tribus igitur libris circumscriptas fuisse. quae quidem statui existimans fere omnes Ciceronis et Bruti epistulas mutuas esse collectas; nam is, qui epistulas ad familiares edidit, excepto libro XIII nullas earum exhibet. (vide p. 30).

Ergo singulorum annorum epistulas ita dispono: continentur

anni	703, 704, 705.	706, 707, 708.	709, 710.
libro	I. II.	III. IV.	V. VI. VII.

restant libri octavus et nonus, quibus epistulae anni 711 continentur; deperdita parte libri octavi amisimus mea quidem sententia epistulas exeunte anno 710 et mensibus Februario et Martio 711 [1] datas. liceat autem mihi epistulas, quae nunc primo et altero libro ad M. Brutum exstant, non seiungere, cum infra argumenta allaturus sim.

---

[1]) Scriptae sunt mense Februario epistula Ciceronis (ad Brutum II. 5, 4): „iam concedo ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistula iocans scripsisti.“ et mense Martio fere a. d. VI Idus, cum Kal. Aprilibus responsum exspectetur, epistula Bruti, „nuntii nostrarum rerum et de morte Trebonii« (ad Brut. II. 5, 1).

Nunc perlustremus fragmenta et primum quidem ea, quae nobis exhibet Quintilianus, qui dicit II. 20, 9: „et ipse Cicero a sua persona cum ad Brutum in epistulis tum aliis etiam locis virtutem eam (sc. eloquentiam) appellet?“ quonam tempore haec scripsisse Ciceronem ad Brutum volumus? nempe eo, quo ei librum misit de optimo genere dicendi, anno 708. quod idem valet in alium locum, qui exstat apud Quint. VIII. 3, 6: „recteque Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistula scribit: »»nam eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam indico.«« haec verba ad epistulas anno 708 datas referenda esse videntur mihi existimanti reprehensione Bruti vulneratum Ciceronem vix iterum ansas eiusdem vituperationis ei daturum fuisse. etiam cogitare licet, si quid argumenti ex verbis huius loci sumi potest, cum Brutus se ea, quae in libro de optimo genere dicendi exposita sunt, non probare scripsisset, Ciceronem respondisse ea, quae nobis asservantur a Quintiliano VIII. 6, 20 et 55: „et contra Cicero ad Brutum »»populo«« inquit, »»imposuimus et oratores visi sumus.«« scilicet Cicero Brutum obiurgat dicens se iamdudum oratorem a populo probatum esse, contra nunquam Brutum coram populo verba fecisse. alium habemus locum apud Quint. III. 8, 42: „poterat me liberare Cicero, qui ita scribit ad Brutum praepositis plurimis, quae honeste suaderi Caesari possint: »»simne bonus vir, si haec suadeam? minime. suasoris enim finis est utilitas eius, cui quisque suadet. at recta sunt: quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus.«« haec scripta esse possunt annis ab exeunte mense Sextili 707 usque ad Idus Martias 710. cur malim dicere ea scripta esse anno 709, haec sunt argumenta: anno 707 Cicero pugna apud Pharsalum commissa vitae suae timet nesciens, quod Caesar de se consilium ineat; anno 708 Caesar in Africa bellum gerit, nec esse videtur, quod ei Cicero per Brutum in Gallia commorantem suadere possit, contra anno 709 Cicero ipse ad Caesarem epistulas mittit eique suadet (ad Att. XIII. 31, 3), atque si Brutum Caesarem ad bonos viros redire scripsisse accipimus (ad. Att. XIII. 40, 1), inde colligimus Ciceronem cum eo de Caesaris animo movendo communicasse. certo affirmamus anno

708 aut 709, quo Brutus Catonem scripsit, datam esse eam epistulam, quam commemorat Quintilianus V. 10, 9: „et ipse Cicero ad Brutum ita scribit: »»veritus fortasse ne nos in Catonem nostrum transferremus illinc aliquid, etsi argumentum simile non erat.«« anno autem 704 ea epistula data est, de qua Quintilianus verba faciens de Cicerone dicit IX. 3, 41; „utque se habet epistula ad Brutum: »»ego cum in gratiam redierim cum Appio Claudio, et redierim per Cn. Pompeium, [et] ego ergo cum redierim.«« nam Pompeius anno 704 reconciliavit Ciceronem Appio, quod testatur epistula ad Appium mense Maio data (ad fam. III. 10, 10 in fine); tempus autem perfectum coniunctivi indicat in enuntiato primario exstitisse praesens aut futurum; de re igitur novissime peracta Cicero verba facere videtur, quod idem iteratio verbi probat. non certis temporibus tribui possunt ceteri loci, quos Quintilianus affert VI. 3, 20 [1]). VIII. 3, 34. IX. 3, 58 [2]). IX. 4, 41 [3]). ea deinde, quae apud Nonium ad nos pervenerunt, fragmenta sunt haec: dicit Nonius p. 421, 26: „inter amare et diligere hoc interest, quod amare vim habet maiorem, diligere autem est levius amare. Cicero ad Brutum: »»sic igitur facis, et me aut amabis aut, quod contentus sum, diliges.«« talia Cicero ante annum 710 scripsit, cum nondum maxima familiaritate cum Bruto coniunctus esset; nam non amicissimo utitur eo, cuius minore amore contentus sit. eundem locum laudare videntur Non. p. 264, 5. depravatis a librario vocabulis et Isidorus differentiarum libro No. 17. (p. 742 ed. du Breul): „inter amare et diligere putat differre Cicero: saepiusque sic utitur, ut distinguat atque amare ponat pro ardenter amare, sicut in epistulis ad Brutum: »»vale,«« inquit, »»et nos ama: vel si id maius est, dilige.«« et rursus: »»sic igitur facies; me aut amabis aut, quo contentus sum,

---

[1]) Vide infra p. 31.

[2]) Eundem Flavium Cicero commemorare videtur anno 709 (ad Att. XII. 17).

[3]) Cum de nullis ad D. Brutum epistulis deperditis compertum quidquam habeamus, non dubito quin ad epistulas ad M. Brutum referendus sit locus: „Ciceroni in epistulis excidit“: ««res mihi invisae visae sunt, Brute.»»

diliges.«« aliis quos affert locis libri numerum addit Nonius, ita p. 296, 8: M. Tullius epistula ad Brutum lib. VII:" »»his contraria atque parata, ut esse soleat, expertus sum.«« et p. 527, 25: „M. Tullius epistula ad Brutum lib. VIII: »»et quod te tantum amat, ut me audeat provocare.«« haec quin in deperdita parte libri octavi exstiterint, non est dubitandum; nam haec ipsa verba indicant epistulam post Idus Martias 710 esse scriptam, cum ex eis cognoscamus Bruti amandi aemulum aegre ferre Ciceronem. denique locus exstat apud Nonium p. 421, 31: „et lib. IX: »»Lucilius Clodius, tribunus plebis designatus, valde me diligit, vel, ut enfaticoteron dicam, valde me amat.«« qui etiam ad nos pervenit in libro, quem dicimus, primo ad Brutum initio epistulae primae. Nonius librorum numerum non finxit; nam si hoc sibi proposuisset, etiam ceteros quos supra attuli locos numero designavisset; sed cum eum non invenisset, omisit; deprompti autem sunt loci ex auctore haud spernendo.

His igitur permotus, et cum epistulae unius et dimidiae partis libri, quos etiam nunc habemus, accurate reliquos libros septem excipiant, cumque necesse sit tempore rerum gestarum ipso scriptae sint, quia optime cum eiusdem temporis testimoniis concinunt (confer ad fam. XI. 14, 26. XII. 5, 6, 8, 10, 14, 15. Corn Nep. Att. 8), non mihi persuaderi potest falsas esse epistulas. [1]) nam qui nunc solus restat adversarius, Becher [2]) diserte quidem de sermone epistularum verba facit, sed studio

---

[1]) Nolo iterare, quae bene disseruerunt *E. Ruete:* Die Correspondenz Ciceros in den Jahren 44 und 43. Marburg. 1883. et *L. Gurlitt:* Die Briefe Ciceros an M. Brutus. Philologus Suppl. IV. (1884) p. 553 ss.

[2]) Ferd. Becher: De Ciceronis quae feruntur ad M. Brutum epistulis. Harburg 1876. Rhein. Mus. N. F. 37. p. 576. ss. Philologischer Anzeiger XIV. p. 315—325. Die sprachliche Eigenart der Briefe ad Brutum. Philologus 1885. p. 471—501.

Paul Meyer enim, qui primum acerbissimus fuit adversarius (Untersuchung über die Frage der Echtheit des Briefwechsels Cicero ad Brutum sowohl vom historischen als vom sprachlichen Standpunkt aus. Zürich 1881.) in sententiam Gurlittii discessit. Philologische Wochenschrift 1884 No. 14 p. 423 ss.

provectus unum neglegit; recte enim cum Schirmer [1]) exposuisset interesse aliquid inter sermonem epistularum Bruti et Ciceronis, contra Becher (Phil. 1885) monuit singularia quaedam etiam in Ciceronis epistulis inveniri. quod quidem minime miror, quippe quod accidat in qualibet litterarum consuetudine; nam tum alter alterius verbis usus rescribit, cum alter se ad alterius mentem et intelligentiam accommodat, ipsius alterius tritis locutionibus sententiam illustrans. neque quod in fine dissertationis, quam attuli, Becher profitetur omnes has epistulas spiritum declamatorium redolere, mihi admirationem movet. haec videlicet in magnam epistularum Ciceronis partem valent et eas quidem, quas ad homines a se alienos scripsit, quoniam Cicero in Rhodo insula rhetorum scholas frequentavit. et Brutum arte rhetorica imbutum sermonis usu a Cicerone distitisse notum est (ad Att. XIV. 20, 3. XV. 1 b, 2. Tac. Dial. 18), sed qualis eius fuerit usus, non cognovimus, nisi eum gravitati dicendi studuisse (Quint. XII. 10, 11). quod non pugnat contra sermonem epistularum, quae ad nos pervenerunt. (confer Becheri dissertationes).

Restat, ut de epistulis, quae nominantur invectivae in Octavianum, I. 16 et 17 exponam, quid censeam. argumenta, quae Heine [2]) et Gurlitt [3]) eas improbantes attulerunt, repudio, nam illa, quam illustravit Heine, sententiarum iteratio non indicat rhetorem sed graviter stomachantem; homo enim iratus non satis habet semel aliquid obiurgare, sed mutatis verbis reprehensiones cumulat. qui igitur contendit has epistulas a rhetore quodam esse compositas, addere debet insulso. respice eas et epistulam ad Octavianum, toto caelo distant! nam ar-

---

[1]) K. Schirmer: Ueber die Sprache des M. Brutus in den bei Cicero überlieferten Briefen. Jahresb. des Lyceums. Metz 1884.

L. Gurlitt: Anzeige über K. Schirmer. Jahns Jahrbb. 1884 p. 855—858.

[2]) R. Heine: Quaestionum de M. Tullii Ciceronis et M. Bruti epistulis mutuis capita duo. Lipsiae 1875 p. 37 ss.

[3]) L. Gurlitt: Philologus Suppl. IV. (1884) p. 614 ss. cetera dubia Gurlittii refellit E. O. Schmidt: Zur Kritik und Erklärung der Briefe Ciceros an M. Brutus. Jahns. Jahrbb. 1884 p. 617—644.

gutiis et ornamentis rhetoricis carent. Becheri quaestioni,[1]) cur locutionibus singularis sermonis scateant, respondeo, quia irato animo Brutus parum spectat sermonis elegantiam. Octavium appellari Octavianum ne ego quidem miror,[2]) cum Bruto eum Caesaris filium agnoscere non conveniat.[3]) epistula autem I. 4, 4. Brutus ipsis Ciceronis verbis utitur, „de Caesare tuo" eum obiurgans (confer ad fam XI. 8, 2).[4]) denique statuo prius, quam omnes quae exstant epistulas datas esse epistulas I. 16 et 17; iam enim ab exeunte anno 710 Cicero Bruto ad eius modi obiurgationes ansam praebuit (ad Att. XVI. 8, 1. ad fam. X. 28, 3 et al). neque in ulla epistula ad Brutum, quae inter se brevibus spatiis intermissis excipiunt, leviter Cicero has obiurgationes attingit; quae si scriptae essent, ut voluerunt, exeunte mense Aprili, mentionem earum in ep. I. 3. I. 5 fieri exspectaremus. contra si mense Februario datae sunt, facile intellegitur, cur Cicero earum memoriam deposuerit; omnino necesse est scriptae sint ante mortem Porciae (I. 9), de cuius tempore etiam testimonium habendum est, quod ep. I. 12, 2. inter feminas pro pueris Lepidi deprecantes Porcia iam non exstat. argumentum etiam sumimus e Plutarcho, qui cum multis verbis exposuisset, qua ratione Brutus in epistula Ciceronem increparet, obiurgationes, quae non ab eis in epp. ad Brutum I. 16 exhibitis differunt, addidit verba (Brut. 22): „ἐν μὲν οὖν ταῖς πρώταις ἐπιστολαῖς τοιοῦτος ὁ Βροῦτος." quid primis epistulis significatur? potius ultimae hae epistulae sunt dicendae. sed cum totum contextum perspicientes intellegamus Plutarchum de rebus ineunte anno 711 gestis verba facere, dicimus esse supplendum ἐν ταῖς πρώταις τῶν τότε ἐπιστολῶν.

---

[1]) Philologus 1885 p. 490.

[2]) Philol. 1885 p. 489.

[3]) Schmidt: Jahns Jahrbb. 1884 p. 632.

[4]) De his epistulis confer etiam Cobet: Mnemosyne N. S. VII. p. 262 ss.

IV.

Nunc quaestio exsistit, quis epistulas Ciceronis collegerit atque ediderit. cum de hac quaestione neque Hofmann [1]) neque Gurlitt [2]) inquirentibus nobis satis faciant, paulo amplius res tractanda erit.

Ciceronis epistularum ad nos pervenerunt
libri ad familiares XVI,
libri ad Atticum XVI,
libri ad Quintum fratrem III,

liber unus ad M. Brutum et alterius dimidia pars. praeterea antiquis temporibus multa alia exstitisse corpora Ciceronis epistularum nobis grammatici testantur. cognitos habemus Ciceronis epistularum

ad C. Licinium Calvum librum I. (Priscian. IX. 10, 54),
ad Cornelium Nepotem librum II. (Macrob. Sat. II. 1, 14),
ad Marcum filium librum II. (Nonius p. 275, 17),
ad Pompeium librum IV. (Non. p. 293, 19),
ad Caesarem librum III. (Non. p. 286, 12),
ad Caesarem iuniorem librum III. (Non. p. 426; 12),
ad Axium librum II. (Non. p. 509, 20),
ad Pansam librum III. (Non. p. 92, 21),
ad Hirtium librum IX. (Non. p. 450, 3),
ad Cassium librum I. (Non. p. 278, 5),
ad Brutum librum IX. (Non. p. 421, 31).

quem haec epistularum corpora edidisse dixeris? num ipsos, ad quos datae sunt? anno 710 a. d. VII. Id. Quint. Attico quaerenti, utrum epistulas collectas haberet an non, Cicero respondit (ad Att. XVI. 5, 5): „mearum epistularum nulla est συναγωγή, sed habet Tiro instar septuaginta, et quidem sunt a te quaedam sumendae: eas ego oportet perspiciam, corrigam; tum denique edentur.“ anno igitur 710 nulli epistularum Ciceronis libri editi erant. ergo nec Pompeius nec

---

[1]) Hofmann in praefatione epistularum selectarum p. 1—13.

[2]) Gurlitt: D. M. Tullii Ciceronis epistulis earumque pristina collectione. Gottingae 1879.

Caesar epistulas a Cicerone acceptas publici iuris fecit. anno proximo Aprili mense exeunte pugna apud Mutinam commissa et Hirtius et Pansa ceciderunt, autumno anni 712 Cassius et Brutus mortui sunt. qui omnes temporibus illis turbulentissimis, cum ipsi exercitibus praeessent, epistulas edere non potuerunt. e loco, quem supra attuli discimus Atticum id studuisse, ut Ciceronis epistulae ederentur, Tironem autem non multas collegisse, quasdam ab Attico sumendas fuisse; certe hae non sunt epistulae ad ipsum Atticum, sed ad alios ei legendae missae. maxima pars iam recuperanda erat ab iis, qui eas acceperant. quas quidem facile impetrare potuit Atticus; nam eum fuisse virum ab utriusque partis hominibus observatum cognovimus et familiariter usum esse Nepote, Pompeio, Caesare, Octaviano, Bruto, Cassii fratre Quinto (ad Att V. 21, 2). *quibus rationibus adducor, ut dicam Atticum collegisse epistulas ad illos datas et edidisse.*

Alterum argumentum ex ipsis ad Atticum epistulis sumimus. cum epistula XIV. 17 Cicero Attico legenda miserat exempla earum litterarum, quas ad Brutum, ad Cassium, ad Dolabellam scripserat (§ 4); sed sola epistula ad Dolabellam addita est. qua de causa? Nonius tradidit exstisse libros epistularum ad Brutum et ad Cassium, [1]) libros epistularum ad Dolabellam editos fuisse notum non est. dicimus igitur Atticum easdem epistulas bis exhibere noluisse. eadem ratione non apposuit epistulam Ciceronis ad Cassium, quam legendam acceperat (ad Att. XIV. 19, 1), neque Hirtii ad Ciceronem (ad Att. XII. 34, 3. 41, 4). in epistula quidem ad Att. XV. 6. litteras Hirtii legimus, sed in ipsa Ciceronis epistula exstant, non ipsum igitur exemplum Cicero misisse videtur. Bruti epistularum nullas in epistulis ad Atticum invenimus, tamen saepe Cicero eas Attico legendas misit (Cic. Brut. 3, 11. ad Att. XIII. 3, 2. XV, 28. 29), neque ullam Ciceronis ad Brutum,

[1]) Negat hoc Gurlitt: de M. T. C. epistulis p. 8, flocci faciens Nonii testimonium, sed nulla alia Nonii errorum exempla afferens. mihi autem magnopere probari videtur exstitisse libros epistularum ad Cassium et e loco quem supra laudavi ad Atticum, et quia in libris ad familiares satis paucae epistulae ad Cassium exstant.

quarum exempla Atticus accepit (ad Att. XII. 15. 18, 2. XIII. 37, 1. XIV. 17, 4). etiam Pansae et Ciceronis mutuae litterae ei praesto fuerunt (ad Att. XV. 23.). tamen eas non exhibuit. contra epistulis Ciceronis ad Atticum additae sunt litterae M. Antonii ad Ciceronem et Ciceronis ad Antonium (ad Att. XIV. 13, 6), epistula illa ad Dolabellam (ad Att. XIV. 17); epistulae Ciceronis ad Plancum tres (ad Att. XVI. 16. A. B. E.), duae ad Capitonem (ad Att. XVI. 16. C. F.), una ad C. Cuppiennium (ad. Att. XVI. 16. D.; in contextu epistulae ad Atticum (XV. 14, 1.) exstat epistula Ciceronis ad Dolabellam. haec exempla satis docent omisisse Atticum eas epistulas, quae propriis corporibus continebantur.

Aliam autem rationem praebent epistularum ad Atticum libri priores decem. epistulas exhibent, quas Ciceros legendas miserat, Balbi ad Ciceronem (VIII. 15, 3), Balbi et Oppii ad Ciceronem, Balbi ad Ciceronem, Caesaris ad Oppium (IX. 7, 3), Balbi ad Ciceronem (IX. 13, 8), Matii et Trebatii ad Ciceronem (IX. 15, 6), Antonii ad Ciceronem (X. 8, 10), Caelii ad Ciceronem (X. 9, 3). sed invenimus etiam epistulas et Pompeii et ad Pompeium (Pompeii ad Ciceronem duas, Ciceronis ad Pompeium duas VIII. 11, 6, Pompei ad C. Marcellum, L. Lentulum coss., tres Pompeii ad Domitium VIII. 12, 6) et Caesaris ad Ciceronem (IX. 6, 6. 16 X. 8 B.) et Ciceronis ad Caesarem (IX. 11, 4). tamen libros Ciceronis epistularum et ad Pompeium et ad Caesarem exstitisse accipimus. Unde causa huius rei contrariae repetenda est? *videtur mihi Atticus, cum in conficiendis epistularum ad ipsum voluminibus ad librum decimum pervenisset, consilium cepisse omnes Ciceronis epistulas edendi;* tum eum ex Cicerone quaesivisse puto, num iam collectas haberet epistulas (ad Att. XVI. 5, 5). in vulgus igitur edidit deinceps epistularum Ciceronis libros ad Pompeium, ad Caesarem, ad Hirtium et ceteros; sed cum harum epistularum quaedam in epistularum ad Atticum libris exstarent, graviores tamen viderentur esse, quam ut deesse in serie reliquarum potuissent, eae bis receptae sunt. hac de causa verba, quae e libro IV. epistularum Ciceronis ad Pompeium deprompta Nonius (p. 293, 19) affert, etiam epistula ad Att.

VIII. 11, D., 2 nobis praebet. *cum autem sex ultimos libros Ciceronis ad se epistularum Atticus conficeret, iam cetera corpora collegerat itaque bis edendis epistulis illis ad Brutum, ad Cassium, ad Hirtium ad Pansam se abstinuit.*

Et Tiro quidem, qui epistulas quas dicimus ad familiares edidit, vitasse videtur, ne bis eadem epistula exstaret. perpaucas igitur praebet epistulas earum, quae ipsae iam singulis corporibus editae erant, unam ad Caesarem (VII. 5.) (non respiciendus est liber singularis epistularum commendatitiarum XIII., cuius peculiaris ratio est), [1]) unam ad Pompeium (V. 7), nullam ad Hirtium, ad Pansam, ad Brutum, ad Axium; ad Cassium plures (XIX.) recepit, nam fortasse uno et eodem tempore et a Tirone epistularum ad familiares et ab Attico epistularum ad Cassium libri editi sunt. ex his apparet Tironem iam editis illis libris praetermissa collegisse. eum autem epistulas Caelii ad Ciceronem (VIII. 16) et Ciceronis ad Dolabellam (IX. 14) exhibere, quamquam apud Atticum exstant (X. 9, A. et XIV. 17, A.), non miror; nam cum Atticus libros sedecim Ciceronis ad ipsum epistularum collegisset, eos retinuit neque edidit (Corn. Nep. Att. 16, 3). Tiro igitur non compertum habuit etiam in his exstare epistulas illas Caelii et ad Dolabellam. *qua de causa statuimus eum ante Attici libros sedecim editos sed post editos libros epistularum ad Pompeium, ad Caesarem et ad ceteros publici iuris fecisse epistularum libros ad familiares.*

Atticum statui edidisse libros novem ad M. Brutum. quod si respicimus, facile intellegimus rationem epistularum ad Brutum I. 16 et 17; nam nihil impediebat, quin Atticus, amicus Octaviani, etiam has ederet. attamen cum haesitaret, eas in fine addidit tantum, ut totum librum conficeret. [2]) neque epistulam Bruti ad Atticum inveniri miramur, cum saepe is Ciceroni Bruti litteras, quas accepit, legendas miserit (ad Att. VI. 1, 2. 7. XII. 21, 1. 37, 1. XIV. 19, 1. XV. 9, 2).

[1]) Gurlitt: de M. T. C. epistulis p. 14 ss.

[2]) Simili ratione in libro XVI. Atticus epistulas Ciceronis ad alios congessit, ut nsque ad umbilicum procederet. confer modos librorum, quos exhibet Birt: Das antike Buchwesen p. 326 s.

Quae inscriptio librorum novem ad Brutum fuit? si contuleris, quibus verbis scriptores epistulas Ciceronis afferant, facile intellexeris Ciceronis nomen omnibus libris, quorum supra mentionem feci, additum esse. *igitur appellandi sunt M. Tullii Ciceronis epistularum ad M. Brutum libri novem* (Quint. II. 20, 9. III. 8, 42. V. 10, 9. VIII. 3, 6. 34; 6, 20 et 55. IX. 3, 58; 4, 41. Serv. ad Aen. VIII. 395. Non. p. 296, 8; 527, 25; 421, 31; 264, 5. Isid. diff. libro No. 17). etiam si aliorum epistulae ad Ciceronem afferuntur, accurate et aperte eae in Ciceronis epistulis exstare dicuntur; e. gr. dicit Gellius I. 22. 19: „ita enim scriptum est in libro epistularum M. Ciceronis ad L. Plancum et in epistula Asinii Pollionis ad Ciceronem his verbis," et Nonius p. 83, 31: „Cicero ad Varronem epistula Paeti." hunc Nonii locum respicienti (vide infra p .35) videtur mihi Quintilianus verbis (VI. 3, 20): „ideoque in epistulis Cicero haec Bruti refert verba: »»ne illi sunt pedes faceti ac delicatius ingredienti molles«« idem indicare, ac si passive dixisset: „in epistulis Ciceronis haec Bruti referentur verba;" nam si in epistula quadam Cicero Bruti verba affert, cur „in epistulis" ea exstare dicit Quintilianus? nullum praeterea locum ex epistulis Bruti ad Ciceronem deprompsit, quas repertas fuisse in Ciceronis ad M. Brutum epistularum libris novem negari non postest. si enim laudatur a Quintiliano IX. 4, 75. „Brutus in epistulis," nullo modo contendo hanc, cuius locum Quintilianus affert, epistulam esse novem librorum Ciceronis epistularum, cum sexcentis aliis locis, ubi Ciceronis epistularum mentio fit, semper Cicero in epistulis laudetur, etsi ab aliis scriptae sunt. praeterea exstant apud Diomedem I. p. 383 P.: „ex quo fit compositum cognosco, cognovi, item agnosco, agnovi, ex quo nonnulli declinaverunt agnotum, agnoturum,[1]) ut Brutus in epistulis," apud Priscianum IX. 863 P.: „Brutus in epistulis: »»occiso Gaio Caesare postquam mare transierat, praestatum est,«« et praecipuum exemplum apud Charisium I. p. 105 P.: „familiare, ab hoc familiare, si

---

[1]) Iam scimus Brutum studiosum fuisse conjugationis periphrasticae; etiam hoc huius rei testimonium est.

de homine, familiari, si de re. familiari pro familiare *Brutus ad Caesarem:* »»a Scaptio familiari meo.«« habemus igitur epistulam Bruti ad Caesarem, quam in singulari Bruti epistularum corpore exstitisse affirmo. nam etiam e Plutarcho discimus praeter Ciceronis ad Brutum epistulas et praeter epistulas Graecas alias exstitisse Bruti epistulas. legimus (Brut 2): „ὁ δ' Ἔμπυλος, οὗ καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς καὶ οἱ φίλοι μέμνηνται πολλάκις ὡς συμβιοῦντος αὐτῷ, ῥήτωρ ἦν." et ipse Brutus igitur et eius amici saepe in epistulis mentionem fecerunt Empyli; sed in epistulis Ciceronis nusquam nomen Empyli occurrit, semel omnino a Cicerone in scripto nunc deperdito affertur (Quint. X. 6, 4); quam ob rem non saepe Brutus Empyli mentionem in epistulis ad Ciceronem et Atticum datis fecisse videtur. patet igitur olim etiam Bruti epistulas ad alios amicos atque ad Ciceronem et Atticum lectas esse. iterum epistulam quandam ad amicos Plutarchus commemorat (Brut 53): „καίτοι φέρεταί τις ἐπιστολὴ Βρούτου πρὸς τοὺς φίλους ἐγκαλοῦντος καὶ ὀλοφυρομένου περί τῆς Πορκίας, ὡς ἀμεληθείσης ὑπ' αὐτῶν καὶ προελομένης διὰ νόσον καταλιπεῖν τὸν βίον. ἔοικεν οὖν ὁ Νικόλαος ἠγνοηκέναι τὸν χρόνον· ἐπεὶ τό γε πάθος καὶ τὸν ἔρωτα τῆς γυναικὸς καὶ τὸν τρόπον τῆς τελευτῆς ὑπονοῆσαι δίδωσι καὶ τὸ ἐπιστόλιον, εἴπερ ἄρα τῶν γνησίων ἐστίν." quae verba ita verto: „attamen epistula quaedam Bruti ad amicos fertur, increpantis et querentis Porciam ab illis neglectam deponere vitam, cum aegrotaret, praetulisse (sc. vitae). Nicolaus igitur tempus ignorasse videtur, quia et animi ardorem et amorem feminae et mortis rationem aliqua ex parte etiam epistula illa ostendit, si quidem genuina est." Plutarcho igitur persuasum erat etiam hanc epistulam testari Porciam sibi mortem conscivisse, sed pugnare contra temporis rationem Nicolai. quamquam non apertis verbis Nicolaum Damascenum narrare morte Bruti cognita Porciam sibi manus intulisse Plutarchus tradit, tamen hoc ex iis, quae antecedunt, perspicitur idemque Valerii Maximi quod affertur testimonium declarat; nam is accurate dicit (IV. 6): „tuos quoque castissimos ignes, Porcia M. Catonis filia, cuncta saecula debita admiratione prosequuntur: quae cum apud Philippos interemptum virum tuum cognosceres, quia ferrum non daba-

tur, ardentes ore carbones haurire non dubitasti, muliebri spiritu virilem patris exitum imitata, sed nescio an hoc fortius, quod ille usitato, tu novo genere mortis absumpta es.“ cum autem epistula illa Bruti Plutarcho praesto non esset („φέρεταί τις ἐπιστολή“), ex verbis, qualia quem secutus est auctor exhibebat, conclusit epistulam non aliam mortem narrare ac Nicolaum et Valerium, quia etiam ex verbis epistulae animus Porciae perspici posset. iam Theodorus Mommsen [1]) demonstravit vitam Porciae a scriptoribus, populi potentiae amicis, prave narratam esse, cum filiam Catonis Uticensis dicerent, quae soror erat. atque ut in hac re veri aliquid scriptores illi retinuerunt, etiam in mortis narratione non prorsus a rebus recessisse videntur, ad augendam scilicet Porciae gloriam eam sibi propter mariti interitum mortem conscivisse fingentes. Nos vero ad disceptandam hanc controversiam ex epistula Ciceronis consolatoria ad Brutum (I. 9.) nihil lucramur, nisi quod e tenore epistulae argumentari licet de industria mortis rationem omnino non attingi. cui auctorum, ex quorum scriptis hausit, Plutarchus notitiam epistularum Ciceronis et Bruti debeat, nondum liquet. [2]) nam ne Ciceronis quidem epistularum libros Plutarcho praesto fuisse docet nos locus (Brut 26): „χρόνον μὲν οὖν πολὺν ἐν τιμῇ τὸν Γάϊον ἦγε, καὶ τὰ παράσημα τῆς ἀρχῆς οὐκ ἀφῄρει, καίπερ, ὥς φασιν, ἄλλων τε πολλῶν καὶ Κικέρωνος ἀπὸ Ῥώμης γραφόντων καὶ κελευόντων ἀναιρεῖν.“ (Confer ad Brutum I. 3). idem vero Graecas Bruti quae ferebantur epistulas (quas falsas esse constat) legit; quarum exhibet exempla tria, [3]) quamquam probe intellexit eas discre-

---

[1]) Hermes XV. p. 99—102.

[2]) H. Peter: Die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer. Halle 1865. p. 110. 118, adn. 3. 140.

C. Wichmann: De Plutarchi in vitis Bruti et Antonii fontibus. Bonnae, 1874 p. 23.

[3]) Sunt epistulae 1, 69, 25 in editione Westermanni, Lipsiae 1855. — Miror Drumannum (IV. p. 40) putavisse ad Latinas Bruti epistulas pertinere dictum Marciani (Photius. p. 108a. 18): „*καὶ Μαρκιανόν φησι τὸν Κρητικὸν συγγραφέα ὑπερορᾶν μὲν Πλάτωνος καὶ Δημοσθένους, τὰς δὲ Βρούτου τοῦ Ἰταλοῦ ἐπιστολὰς προκρίνειν καὶ κανόνα τῆς ἐν λόγῳ ἀρετῆς ἀποφαίνειν.*“

pare a reliquo dicendi usu Bruti; nam praemittit (Brut 2): „Ῥωμαϊστὶ μὲν οὖν ἤσκητο πρὸς τὰς διεξόδους καὶ τοὺς ἀγῶνας ἱκανῶς ὁ Βροῦτος, Ἑλληνιστὶ δὲ τὴν ἀποφθεγματικὴν καὶ Λακωνικὴν ἐπιτηδεύων βραχυλογίαν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ἐνιαχοῦ παράσημός ἐστιν.“

V.

Ad solvendam quaestionem, quo tempore priores septem libri deperierint, adhibendus est locus Frontonis. scripserat M. Aurelius imperator (ad Antoninum II. 4. ed. Naber p. 107): „Ciceronis epistulas, si forte electas, totas vel dimidiatas habes, impertias, vel mone quas potissimum legendas mihi censeas ad facultatem sermonis fovendam.“ rescripsit Fronto Domino (II. 5): „Quinctus hic dies est ut correptus sum dolore membrorum omnium, praecipue autem cervicum et inguinum. memini me excerpisse ex Ciceronis epistulis ea dumtaxat, quibus inesset aliqua de eloquentia vel philosophia vel de rep. disputatio: praeterea si quid eleganti aut verbo notabili dictum videretur, excerpsi. quae in usu meo ad manum erant excerpta, misi tibi. tres libros *duos ad Brutum,* unum ad Axium describi iubebis, si quid rei esse videbitur, et remittes mihi: nam exemplares eorum excerptorum nullos feci. omnes autem Ciceronis epistulas legendas censeo mea sententia, vel magis quam omnes eius orationes. epistulis Ciceronis nihil est perfectius.“ — cave credas haec excerpta Frontonis esse epistulas ad familiares [1]) aut in eis exstitisse libros illos tres describendos. nam non totas epistulas exhibuisse excerpta apparet ex verbis, si recte se habet „ea“ neque „eas“ corrigendum est: „memini me excerpsisse ex Ciceronis epistulis ea dumtaxat, quibus inesset aliqua de eloquentia vel philosophia vel de rep. disputatio;“ certe si excerpsit Fronto, si quid eleganti aut verbo notabili dictum videretur, non totas exhibere potest

---

[1]) Quod voluit Nake; refellerunt eum Hofmann in praefatione epistularum selectarum et Gurlitt dissertatione de M. T. C. epistulis.

epistulas, sed singulos locos. ut libros describi in bibliotheca imperatoris iuberet et sibi remitteret, rogavit Fronto id scilicet agens, ut excerptorum loco, quorum nullum aliud exemplum ipsi erat, totos libros haberet. nam excerpta non magni aestimabat, sed ei persuasum erat omnes epistulas Ciceronis esse legendas. qua de causa, et quod qui novem librorum ad Brutum et duorum ad Axium describendi sint, non accurate designat, sed ut eos describi iubeat, „si quid rei esse videbitur," petit ab imperatore, *duos tantum libros Ciceronis epistularum ad M. Brutum tum exstitisse statuo et eos quidem, quos etiam nunc habemus, octavum et nonnm,* reliquos septem ne cognovisse quidem Frontonem. neque enim Frontonis est scientiam suam celare; si quid igitur de novem libris cognitum habuisset, non satis habuisset paucis de duobus libris ad Brutum verba facere. ineunte igitur iam saeculo secundo reliqui septem libri deperierant. Suetonius Tranquillus novissimus esse videtur, qui ampliora illa corpora Ciceronis epistularum legerit, e quibus locum ex epistula Ciceronis ad Cornelium Nepotem depromptum affert (Div. Jul. 55). iam Gellius nullum Ciceronis epistularum exhibet locum, qui non nunc etiam legatur. dicat aliquis obstare huic sententiae testimonia Nonii. minime; nam homines docti consentiunt [1]) Nonium opus suum congessisse et e Gellio et e priorum grammaticorum scriptis, qui ipsi exscripserint auctores priores ut Verrium Flaccum. ipsum Nonium locos e scriptoribus depromptos non collegisse in propatulo est; sed ne ii quidem, quos in opere componendo secutus est, eos coëgerant sed receperunt iam collectos ab auctoribus illis, qui primis imperatorum temporibus floruerunt. maxima igitur habenda est auctoritas locorum, quos Nonius affert. alia est ratio epistulae, quam laudat M. Aurelius (ad M. Caesarem III. 14. Naber p. 52): „epistula Ciceronis mirifice adfecit animum meum. miserat Brutus Ciceroni librum suum corrigendum;" non enim M. Aurelius legit epistulam Ciceronis nunc deperditam, sed epistulam ad Atticum XV. 1 b. nam cum Frontonem epistulas Ciceronis ad Brutum tum temporis non legisse su-

[1]) Teuffel: Gesch. der röm. Litteratur. § 368, 3. 4.

mendum sit ex verbis „si quid rei esse videbitur," vix credendum est iam antea Aurelium eas legisse.

VI.

Ut munere meo perfungar, pauca sunt mihi addenda de specie, qua nobis tradiderunt epistulas Ciceronis ad Brutum librarii medii quod dicimus aevi. cum iam antiquitus libri epistularum ad Atticum, ad Quintum fratrem, ad M. Brutum iuncti sint, de codicibus nihil mihi est dicendum. quae hac in parte tractaturus sum, pertinent ad epistulas II. 3. 4. 5, ut prioribus temporibus designabantur.

Iniura Hofmann [1]) suspitionis momentum inde petit, quod epistulae alterius (antiquitus octavi) libri tantum ex editione Cratandri nobis cognitae sint, cum ipse [2]) exposuerit libros epistularum ad Atticum in fine expletos esse e codice Germano a Poggio Constantiae reperto. non igitur miramur etiam epistulas ad Brutum nobis pleniores exhibuisse codicem Germanum. nam codice quodam usum esse in edendis epistulis Cratandrum discimus e folio illo transposito. quod quomodo acciderit, exponere conaturus sum.

Speciem folii continentis epistulas II. 3. 4 et 5. facile inveniemus, [3]) si respicimus lacunas exstare post verba „hoc magis doleo Asiam" et post verba „sin eam semel cepit mihi crede." hae lacunae enim eodem loco utriusque paginae exstiterint, necesse est. ponamus igitur primam paginam exhibuisse verba inde a «*non erit. Id. April.*» et quae sequuntur usque ad «*hoc magis doleo Asiam*», alteram paginam inde a «*sed quo nos amisisse*» usque ad «*mihi crede*»; omnia bene se habent, dilaceratum est folium in calce, qua de causa et post verba

---

[1]) In praefatione epist. select. p. 4.

[2]) Hofmann: Der kritische Apparat zu Ciceros Briefen an Atticus p. 57.

[3]) Usus sum editione Baiteri, Lipsiae 1867. inscriptiones non una numeravi in epistulis Brutinis, quia de iis non satis constat, in ceteris numero comprehenduntur.

„doleo Asiam" primae paginae et post verba „mihi crede" alterius paginae quaedam deperierunt. non pugnat contra hanc sententiam summa litterarum; habemus enim in prima pagina („non erit" — „Asiam") 1238 litteras, in altera („sed quo" — „mihi crede") 1303. folium igitur unum effecerunt verba a *«non erit»* usque ad *«mihi crede»*. transpositum est hoc modo: a folio duplici quattuor paginas efficiente duae paginae abscissae sunt, quae tum perverse insertae sunt ita, ut prior pagina alterius locum obtineret. quod si quaeris, quae sint alterae duae paginae, a quibus hoc folium („non erit" — „mihi crede") abscissum fuit, duae excogitari possunt rationes; aut hae duae paginae exhibuerunt verba inde ab *«at in Asiam censeo persequendum»*, ita ut haec esset series foliorum

folium I.	folium II.	folium III.	folium IV.
II. 1. „Cum haec scribebam"	II. 4 „non erit. Id. April."	II. 5. „at in Asiam censeo persequendum"	
usque ad	usque ad	usque ad	finem
„monstrum in republica est" II. 2. in fine.	„sin eam semel cepit mihi crede." II. 4.		„imitationem tui XIII. Kal. Maias" II. 7. in fine.

aut abscissae sunt duae paginae nunc deperditae, in quibus exstiterunt verba epistulae, cuius finis est „non erit. Id. April". prior ratio non male se habet; finem epistulae II. 2 tum verba „non erit. Id. April." efficiunt et levi correctura dies epistulae secundae restitui potest „III. Id. April". sed cum lacuna in fine epistulae secundae exstet post verba „in republica est," quae primo folio tribui non potest, quia necesse est tum respondeat huic altera lacuna in fine epistulae primae aut initio epistulae secundae, dicendum esset etiam in fronte dilace-

ratum esse folium II. („non erit“ — „mihi crede“). at statuo non plus unum versum excidisse et post verba „doleo Asiam,“ cum huius sententiae finis sit „nos amisisse“, [1]) et post verba „mihi crede,“ quae non multis intermissis excipiuntur verbis „at in Asiam censeo persequendum.“ sin dicimus folium II. etiam in fronte fuisse dilaceratum, duo versus inter verba „doleo Asiam“ et „nos amisisse“ exciderunt; accedit, quod primum folium („cum haec scribebam“ — „in republica est“) 2604 litteras continet, una igitur pagina 1302; itaque concedendum est non multa in folio secundo deperiisse, cuius altera pagina 1303 litteras continet. quae si respicimus, sumendum est duas paginas abscissas a folio II. („non erit“ — mihi crede“) exhibuisse finem epistulae secundae et verba, quae antecesserunt verbis, „non erit“ easque esse deperditas. desideramus Bruti epistulam datam a. d. fere VI. Id. Martias (II. 4, 1) scilicet eam, quam nuntios nostrarum rerum et de morte Trebonii esse ipse dicit, et litteras Ciceronis a. d. VI. Id. Apriles Scaptio datas (II. 4, 1), quarum alterutra in folio deperdito exstitisse videtur. hanc igitur speciem habemus

folium I.	folium IIa.	folium II.	folium III.
II. 1. „Cum haec scribebam“ usque ad „monstrum in republica est“ II. 2.	deperditum	II. 4. „non erit, Id. April.“ usque ad „sin eam semel cepit mihi crede“ II. 4.	II. 5. „at in Asiam censeo persequendum“ reliqua omnia bene procedunt.

Sequitur quaestio, utrum in ipso Cratandri codice haec depravatio acciderit, an e codice iam corrupto in codicem Cra-

[1]) Corrigenda sunt verba „sed quo;“ nam vocem relativam aut interrogativam non possunt subsequi verba „nos amisisse.“

tandri pervenerit. probabile est e codice suo Cratandrum non intellexisse, qualis loci depravatio esset; nam in margine verbis „sed quo nos amisisse“ usque ad „Vetus Antistius me tamen pecunia sublevavit“ notam apposuit: „haec clausula ex epistula quapiam Bruti ad Ciceronem huc translata videtur.“ non male, cum verba „Vetus Antistius me tamen pecunia sublevavit“ re vera locum mutavissent, scilicet post verba „neque meo exercitui magis quam reliquorum“ a librario omissa paucis versibus post inserta essent. in verbis autem „mihi crede non erit“ lacunam ne sensit quidem Cratander; igitur haec omnia uno tenore processisse credo in codice Cratandri. utrum schedae Wurzeburgenses [1]) huius codicis reliquiae sint, an non, plane in dubio relinquo. certe folium II. („non erit“ — „mihi crede“) perverse insertum non quadrat in spatium schedarum, quarum folium ad Att. VI. 1, 17. „ipsa declarat“ — „causa venisset“ VI. 2, 1. litteras 3699 continet, una igitur pagina 1849.

Et mihi quidem persuasum erat, quod iam multi homines docti voluerunt, nullum discrimen esse inter rationem huius folii perverse inserti et eorum, quae invenimus in epistulis ad Quintum fratrem II. 1, 1 — II. 5, 2; [2]) sed in his maiora habemus folia, quorum minimum cum pagina maxima („sed quo“ — „mihi crede“) convenit. sequitur tabula exhibens summas litterarum:

		folium	pagina
ep. ad Brutum.	II. 1. „cum haec scribebam“ — „in republica est“.	2604	1302
ep. ad Brutum.	II. 5. „non erit“ — „doleo Asiam.“		1238
ep. ad Brutum.	II. 3. „sed quo“ — „mihi crede.“		1303

[1]) L. Spengel: Münchner Gelehrte Anzeigen 1846, p. 917 ss. 926 ss. K. Halm: Rheinisches Museum XVIII. (1863) p. 460 ss.

[2]) Theodor Mommsen: Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1844, p. 593 ss. recognovit et correxit 1845, p. 779 ss.

		folium	pagina
1) ep. ad Q. fratrem.	II. 1. 1. „Milo cœpit“ — „quid cupiant“ II. 2. 3.	3030	1515
2) ep. ad Q. fratrem.	II. 2. 3. „omnes vident“ — „superiores ipsius“ II. 3. 4.	3010	1505
3) ep. ad. Q. fratrem.	II. 3. 4. „copiis sed“ — „Latiar erat“ II. 4. 2.	2703	1352
4) ep. ad Q. fratrem.	II. 4. 3. „ἀμφιλαφίαν“ — „exiturus“ II. 5. 2.	2955	1477
ep. ad Atticum.[1])	IV. 16. 5. „detur esse“ — „coiace“ (hoc iacet) IV. 17. 3.	3219	1608

ex his facile intellegitur non cohaerere inter se folia transposita epistularum ad Brutum et ad Quintum fratrem et ad Atticum. neque quidquam lucramur e lacuna illa, quae in codice Mediceo in epistulis ad Att. I. 18, 1 — 19, 11 indicatur; [2]) nam si eam quattuor esse paginarum statuimus, paginae minores sunt, quam eae, quas in epistulis ad Brutum reperimus.

Denique hominibus doctis controversiam propono disceptandam: quamquam iam antiquitus in codicibus epistulae ad Atticum, ad Quintum fratrem, ad M. Brutum iunctae sunt, tamen epistulae ad M. Brutum carent locis, qui plane perspici non possunt, quod quidem saepe accidit in epistulis ad Atticum et ad Quintum fratrem. nonne factum esse potest, ut grammaticus quidam fortasse ipse Fronto emendaverit epistulas ad M. Brutum?

[1]) Potius sunt quattuor paginae, singulae 805 litteras exhibentes; nam ratio est haec: si verba IV. 16, 5 „detur esse“ — „magis nunc coiace“ IV. 17, 3. duas partes efficiunt, verba IV. 17, 3. „quod iam intellegebamus“ — „absolutum Gabinium“ IV. 19, 2. tres partes efficiunt.

[2]) Jahns Jahrbücher 87, p. 560.

Hofmann: Der kritische Apparat p. 55.

